


100
A
100

2

100
A
100





Nr.
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25



CUM DEO!
DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE ET PRIVILEGIIS
AMICITIÆ

Quam

Cum consensu

Amplissimæ & Nobilissimæ Facultatis Juridicæ
in perantiquâ Electorali Academiâ
Heidelbergensi

PRÆSIDE

DN. HENRICO DAVIDE
CHUNONE,

Jcto & Professore Primario, Academiæ Procan-
cellario, nec non p.t. Facultatis Juridicæ De-
cano, Præceptore & Promotore suo
æternum devenerando,

Publico examini exponit

MAGNUS ANTONIUS GÖß

VRATISLAV: SILES:

A. & R.

In Jctorum Auditorio ad diem 2. Julij.

HEIDELBERGAE.

Apud AEGIDIUM WALTERUM Acad. Typogr.

Anno c15 l5c LIX.



ILLUSTRI
REIPUBLICÆ VRATISLAVIENSIS
SENATORUM ORDINI

NEC NON
SYNDICIS atque SECRETARIIS
VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis,

IN


RELIGIOSÆ OBSERVANTIÆ ARGUMENTUM,
SPEMQUE PATROCINII IN ME PERENNIS, PRI-
MITIAS HASCE MEAS DEVOTE
OFFERO

MAGNUS ANT. GÖß Autor.



DISSERTATIO JURIDICA
DE
JURE ET PRIVILEGIIS
AMICITIÆ.

Societatem laudis affectat, qui aliena bene dicta prius enunciat, verba sunt Symmachi l. 1. ep. 31. Bona quippe mentis indicium est, mutuatum laborem ultrò profiteri; cum ingenio & ingenio suo cuncta tribuere, sibi que soli sapere, plerumque ingentem stultitiæ habeat mixturam. An verò & mihi aliqua sit speranda laus, qui magnorum Actorum dicta de Amicitia in jure hinc inde dispersa enuncio, tuo, benevole Lector, linquo judicio. Hoc si fuerit sinistrum, argumenti tamen difficultatem, quam nec unius quidem Doctoris, qui hac de re ex professo scripsisset, sublevavit auxilium, iustam erroris commissi daturam excusationem non dif-
fido.



Membrum I.

De Amicitia Etymologia, Synonymia, Homonymia, Divisione, Definitione item & Causâ Efficiente.

§. 1.



um πάσης παιδείσεως ἀρχὴν ἴσκει τῶν
 οὐμάτων, utpote quæ ex Platonis sententia sunt
 ὄργανα διδασκαλικὰ τῆς ἐπιστήμης, & notæ rerum,
 quæ ad ipsarum perceptionem non rarò nos
 ducunt; Nos inpræsentiarum quoque Philo-
 sophorum monitis morem gerentes paucis
 tantùm, antequam ipsam tractationem aggrediamur, *Etymo-*
logiam, Synonymiam & Homonymiam erimus contemplaturi. Vo-
 cabulum *amicitiæ* ab *amico* deductum, sua habet *Synonyma*; Non-
 nunquam enim *familiaritas* vocatur, *l. lata culpe* 223. §. 1. *de*
V. S. quamvis hæc interdum minùs sit quàm *amicitiæ*, *l. semi-*
nones, 2. ff. *qui pet. tut. vel curat.* Nonnunquam *fraternitas*, *l.*
nemo, 58. §. 1. ff. *de hered. instit. l. verum est* 63. ff. *pro socio. Confra-*
ternitas, Erbverbrüderung der Chur- undt Fürstlichen Häuser.
Hospitii quoque *necessitudo* *amicitiæ* nomine venit & vocatur
 προξενία, Gothofr. ad *l. postliminii*, s. §. 1. ff. *de captiv. & postli-*
 min.

5

min. revers. l. postliminium. 19. §. postliminio. 3. ff. eod. Hug. Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 9. num. 2. Erat autem *hospitium* antiquis domus, quæ gratis liberaliterque venienti hospiti patebat, unde etiam pro amicitia frequenter ponitur, Budæus in *l. solent 6. ff. de Off. Procons.* Interdum *pietas* idem est quod amicitia; Quam enim I Cti in *l. si minores 2. ff. qui pet. tut. vel curat. & l. si absens, ult. ff. ubi pupill. educ.* appellant *amicitiam*, eam in *§. consequens 3. l. de suspect. tutor.* vocant *pietatem*, quæ tamen ab eâ, quæ habetur in *l. 1. ff. de obseq. parent. prest.* totò differt coelò. *Fœderati* quoque amici dicuntur in *l. postliminii, 5. §. in pace. 2. ff. de captiv. & postlim. revers.* ibique Gothofr. Hugo Grotius de Iur. Bell. & Pac. l. 3. c. 9. numer. 2. *Cæsar de bell. Gallic. l. 1. cap. 10. pag. m. 29.* *Benevolentiam* aliis huc referre placet, sed minùs congruè; cùm secundùm Arist. 8. *Ethic. c. 2.* positâ benevolentia non statim ponatur mutuus affectus, quem tamen in verâ amicitia adesse oportet. Neque huc pertinet *necessitudo*; Necessarii enim in jure non facillè amici, sed vel consanguinei, vel affines vocantur; *l. ult. ff. de l. & l. affectionis, 5 ff. de donat.*

§. 2. Ab *Æquivocatione* quoque vindicandum erit *amicitia* vocabulum; sumitur enim in jure nostrò tribus potissimum modis: (1) *impropiè*, pro quavis affectione vel inclinatione, quæ etiam de rebus inanimatis prædicatur; ita quandoque simplicitas legibus *amica* vocatur in *§. ult. l. de legit. agnat. tutel. §. sed quia. 7. l. de fidei comm. heredit. c. veritatis 14 x. de jurejur. castitas amica* legibus, *Nov. 74. c. 4.* voluntas misericordix *amica* vocatur in *l. unusquisque, 2. C. de infant. exposit.* Huc pertinet *amicalis* forma, *amicale* pactum *constit. tanta, §. leges autem, pen. de confirmat. Digest. compositio amicabilis in auth. si verò, C. de iudic.* Quâ in significatione ii etiam veniunt, quos Impp: vocant *amicos*, de quibus pluribus §. 7. *infra* a-

genus. Sic *amica* in jure nomen generale est, omnemque foeminam amantem comprehendit; sive ergò sit sponsa, sive conjux, sive concubina, sive pellex sive focaria, sive meretrix, nihil interest. Goedd. ad *l. Massurius, 144. de V. S. Pellicem*, inquit Jctus in *d. l. apud antiquos eam habitam, qua cum uxor non esset, cum aliquò tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellamus*; Imò amicos veteres pro testibus, legatariis, & advocatis posuerunt, ut patet ex *l. 29. §. 1. ff. de legat. 3. l. 31. pr. ff. de negot. gest. Cujac. l. 9. obs. 37. in fin. (2) proprie, & tunc omnem omninò conjunctionem, sive ex sanguine, sive ex affinitate, sive ex affectione tantum proficiscatur, sub se complectitur. Aristot. 8. *Eth. pr. & c. 1.* Unde Quintil. *Si quis, inquit, omnia verà ratione respiciat, quicquid liberos, fratres, propinquos invicem tenet, amicitia est, nec reperio, quid in rebus humanis natura excogitaverit prestantius amicitia, quid concordia contra fortunam majus auxilium.* (3.) propriissimè, pro arduissimâ conjunctione & charitate, summâque familiaritatis notitiâ, exclusâ consanguinitate vel affinitate; *amicos*, inquit Jctus, in *l. late culpa 223. appellare debemus non levi notitiâ conjunctos, sed quibus fuerint jura cum patrefamilias, honestis familiaritatis quesita rationibus. ff. de V. S. & hanc significationem nostram facimus.**

§ 3. Transimus nunc ad amicitia divisionem, quæ varia est; alia enim publica, alia privata; Ad illam referuntur foedera, *l. non dubito, 7 §. 1. ibi: a quo foedere in amicitiam venit, ff. de captiv. & postlim. revers. l. postliminii. §. in pace, 2. ff. d. t. Hug. Grot. de l. B. & P. l. 2. c. 15. Confraternitates, Germ: Erbsverbrüderung / vel si sint juratae, geschworne Brüderschafft. A. B. tit. 15. Eas amicitia causâ contrahi, patet ex confraternitate der Chur- und Fürstlichen Häuser Sachsen und Hessen de Anno 1555. ibi: umd rechter trew und sonderlicher Freundschafft*

schafft willen &c. Limn. *de I. P. lib. 4 c. 8.* Exempla horum in Germaniâ, Galliâ & Italiâ recenset quàm plurima Wehner. *cf. pract. verb. Erbverbrüderung.* Vid. Bodin. *de Republ. l. 1. c. 2. num. 13.* Transactiones item & pacificationes. *Transact. Osabr. § pax sit 1.* Privata iterum est vel vera, vel vulgaris. Vera ex honestâ consuetudine introducta est, de quâ loquitur *d. l. 223. de V. S.* & omnia penè jura, *l. sciendum, 4. § si accusatio, 3. ff. de legation. l. is qui, 44. ibi: amicitia ductus paternâ. ff. de negot. gest. l. si minores, 2. ibi: amici parentum, ff. qui pet. tut. vel curat. l. quid sit, 17. § idem, 4. ff. de edilit. edict. l. bovem, 43. § 1. ff. eod. l. amicissimos, 36. ff. de excusat. l. Sejo, 10. ibi: amico fidelissimo, ff. de ann. legat. Vulgaris plerumque vocatur levis, ut in *l. si verò, 12. § cum quidam, 12. ff. mandat. l. quidam, 46. ff. de hered. instit.* Potest quippe levis hæc notitia ex potatione, commestatione, itinere, confabulatione, & quæstu contingere, in quibus tamen vera amicitia non est, licet ex iisdem interdum initium capiat, *l. 4. C. l. pen. ff. de castr. pecul.* Præcipuè verò inter pocula quæ sita cum poculis evacuatis & crapulâ edormitâ sæpè deponitur, & fluxa in vino fluido sociatio paratur; Unde & vulgò ejusmodi amici vocantur **Saußbrüder**; de his verissimum est illud Plinii *l. 8. ep. 30. ego videor habere multos amicos, sed hujus generis, cuius & tu queris, & res exigit, propè neminem.* Alii triplicem constituunt amicitiam, *voluptatis*, quam quis capit ex amici consuetudine; *Utilitatis*, quam idem expectat ex hujus vel officiis, vel obsequio. *Honestatis*, cujus causâ hunc sibi adjunxit ac conciliavit. Superiores duæ amicitiarum causæ in quovis veniunt reprehendendæ, eò quod amicitiam nullam reddant stabilem aut diuturnam; cùm voluptate expletâ aut utilitate partâ aut neglectâ frigescat amor, sicque nec firma sit amicitia, Scip. Ammirat. *De regn. reg. instit. l. 2. p. m. 951.* Aristot. *8. Eth. 4.* Hinc Martial. *l. 9. epigram. 15.**

Hunc

Hunc quem coena tibi, quem mensa paravit amicum
 Esse putas fidæ pectus amicitiae?
 Aprum amat & mullos & fumen & ostrea, non te,
 Tam benè si coenem, noster amicus eris.

§. 4. *Veram istam, quam diximus, amicitiam describi-*
mus; quod sit unio, quâ præstant inter se aliqui mutuam benevo-
lentiam, de vincit honestis causis ac similitudine iudicii de rebus ad
exercitia virtutis facilius & rectius obeunda. Keckerm. in sy-
stem. Eth. lib. 3. cap. 6. p. m. 363. Benevolentiam requiro mutuam,
 eò quod sine hâc amicitia consistere non possit; hinc Cicero
 amicitiam à propinquitate in hoc differre ait, quòd ex propin-
 quitate benevolentia tolli possit, ex amicitia non item; sublata
 enim benevolentia nomen amicitiae tollitur, propinquitatis
 manet. *Honesta tamen adsit causa necesse est; Is enim de-*
num verus amicus, cum quò est summa familiaritatis honestæ
notitia, quæ mutuâ virtute ac fide conciliatur; Hinc Senec. l.
1. ep. 3. si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis, quan-
tum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiae: er-
rat & ille, qui amicum in atrio querit, in convivio probat.

§. 5. *Virtutem seu pietatem causam Efficientem pono*
§. consequens, 3. l. de suspect. tutor. Virtus amicitiam & gignit &
continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Cic. de
Amicit. p. 563. E. Perfecta enim amicitia est bonorum, Aristor.
lib. 8. Ethic. cap. 3. ferè sub f. & cap. 4. seq. eaque sola intransmu-
tabilis; & ideò præstat prudentiores quàm formosiores habe-
re amicos, dist. 38. cap. 12. & Luc. de Penna ad l. 1. C. de castr. pe-
cul. Neque omnis qui parcat amicus est, neque omnis qui ver-
berat, inimicus; non enim est amor sed languor, ubi mali mo-
res non corripiuntur, c. non putes, 36. c. 23. q. 5. Hinc excludi-
mus familiaritatem exturpi & inhonestâ notitiâ natam, cujus-
modi est scortatorum ac meretricum, adulterorum, latro-
 num,

rum, furum & id genus aliorum; tum quod pietate caret,
tum quod in re turpi frustra fidem quaerimus, l. 53. ff. pro socio. l.
144. de V. S. Hinc Ovidius ad Pisonem:

— — — Dignare, ait, tuos aperire penates,
Hoc solum petimus: nec enim me Diis avari
Imperiosa fames, & habendi seva libido
Impulerant, sed laudis amor: iuvat optimè tecum
Degere.

Quantumcunque enim sit amicitiae vinculum; tamen amici
causam non sunt facienda mala; turpis enim excusatio est, ut in-
quit Cicero de amicit. & minimè accipienda, cum in ceteris peccatis,
tum si quis contra Rempubl. se amici causam fecisse fateatur. Pericles
Atheniensis ab amico rogatus, ut in causa quadam sui gratiam
falsum pejeraret, respondit: se ad aram usque amicum esse; olim
enim jurantes aram manu contingebant, referente Plutarch.
in eius vita. Et Publium Rutilium amico cuidam per indi-
gnationem dicenti: quid mihi opus est amicitia tua, si, quae rogo,
non facis? respondisse: imò quid mihi tua, si propter te aliquid
inhonestè facturum sum? narrat Val. Max. l. 6. c. 4. Unde Cicero
all. loc. concludit, improborum consensionem non modò excusatione
amicitiae regendam non esse, sed potius omni supplicio vindicandam:
facit text. in c. in malis. 69. de R. I. in 6. & in c. in malis, s. c. 22.
q. 4. ibi. in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decre-
tum, quod incautè vovisti, ne facias; impia enim est promissio, quae
scelere adimpletur. Scilicet, quae ad turpem causam se referunt,
non oportet ad effectum perduci, juxta l. Quintus Mucius, 7. in fin.
ff. de ann. legat. Et in scelere prestare patrocinium defensionis, est
legibus & ipsi natura contrarium, l. per omnes, 6. C. de defens. civit.
adde §. illud 7. J. de mandat. l. si remunerandi. 6. §. rei turpis, 3.
ff. eod. l. si mandavero, 22. §. qui eodem, 6. ff. eod. l. Prator 2. §. si
quis

B

quis, 12. ff. de vi bonor. rapt. Gail. de P. P. l. 1. c. 4. num. 10. 11. Est
 sanè amico opitulandum, sed tamen ejus juvandi causâ de via
 non declinandum, aliàs amici vitia si feras, facis tua, text. in l.
 9. ff. ad L. Jul. de adult. Et ideo in causis fractæ pacis amicitia
 vinculum non est utilitati publicæ anteponendum; quinimò
 ejusmodi scelerati & scelesti, maximè si contra Patriam vel Prin-
 cipem quid admittant, vel proscribantur, non amicitia sed po-
 tius odiò digni sunt, text. in l. nullus, 3. ibi: *amicitia, quamvis
 vetus, dissolvenda, C. de malef. & mathemat.* Gail. d. l. l. 2. c. 10.
 num. 30. 31.

§. 6. Porro, positâ hac pietate removemus fucatam il-
 lam amicitiam, de quâ Tacit: 4. Hist. 80. manebat in speciem a-
 micitia, quam alias vocat fallacem. 4. A. 33. num. 5. Quod ge-
 nus amicitia, uti nunquam sinceræ charitatis fide nititur, ita
 facilè expirat, quod veræ amicitia est contrarium, juxta caus. 33.
 q. 3. dist. 2. cap. 2. ibi: *amicitia quæ desinere potest veræ nunquam fuit.
 Et ficta est charitas, quæ in adversitate deserit; d. l. cap. 12.* Ut hi-
 rundines, quæ æstivo tempore præstò sunt, frigore a. pulsæ re-
 cedunt: ita falsi amici sereno vitæ tempore præstò sunt, simul-
 atq; hyemem fortunæ viderint, devolant omnes, Cicer. 4. ad
 Herenn. p. 70. Unde negabat Scipio in Lelio, ullam vocem ini-
 micitiorem amicitia potuisse reperiri, quàm ejus qui dixisset:
*ita amari oportere, ut aliquando esset osurus; nec verò se adduci
 posse, ut hoc à Biante dictum crederet, cum hac ratione omnè
 subverti amicitiam palàm constet, si quis ut osurus amet.*
 Vide Coraf. annot. 4. ad arrest. Tholosa. Keckerm. 3.
 Ethic. cap. 6. can. 33.

§. 7. Nec tamen sola pietas, sed insimul quoque æ-
 qualitas fons est veræ amicitia; Hinc Cicer. in orat. pro Aulo
 Clen. jam, inquit, hoc ferè scitis omnes, quantam vim habeat ad
 coniungendas amicitias studiorum ac naturæ similitudo. Et Plin.
 l. 4.

*l. 4. ep. 15. ait: Est ad connectendas amicitias tenacissimum via-
 culum similitudo. text. in c. nervi. 2. dist. 13. ibi: qui amicitias
 appetit, alteri similem sibi vitam ducenti sese obstringit. Et in c.
 transmissam, 15. x. de Elect. Vide Tiraquel. de legib. connub. l. 5.
 gl. 1. p. 5. num. 20. seqq. ubi inter alia plurima huc spectantia
 num. 27. addit, quod simplex nominis similitudo gignat nobis
 quandam mutuam affectionem atque amicitiam, arg. l. cum fi-
 lius, 76. §. pater, 9. ff. de legat. 2. Patet exinde, quid de amicitia
 Principali sit statuendum? Equidem obvia sunt in jure nostro
 exempla eorum, quos Imp: vocarunt *amicos*; sic Alexander
 Severus Ulpianum Jctum vocat *amicum* in l. 4. C. de contrah. sti-
 pul. Divi quoque Fratres Imp. Marcus Antoninus & Aelius
 Verus Volusium Mæcianum & Salvium Julianum Jctos ap-
 pellant *amicos* suos in l. 17. ff. de jure patron. in quâ Jidem alios
 jurisperitos eodem gratiæ & benevolentia titulo insigniunt;
 vide l. 1. §. si quis, 3. ff. de appell. l. 1. C. si mancip. ita ven. l. ult. de
 offic. præfect. vigil. l. 4. C. de iuris & fact. ignorant. Et Ferdinan-
 dus I. Rex Roman. Archiepiscopum Moguntinum vocat
 suum *amicum* E. G. D. p. 1. tit. 26. §. Es sollen auch weiter. ac
 proinde Cynus ad l. 4. C. locat. in qua Imp. Alex. Ulpianum
 quoque *parentem* nominat, *Vides, inquit, studiosa juvenus,
 quantum prosit scientia? facis enim jurisperitum patrem & ami-
 cum Principum.* Nostris quoque temporibus Principes Consi-
 liarios suos interdum hoc nomine dignantur, eumq; morem
 retinent etiam Galliæ Reges, quorum in epistolis seu rescriptis il-
 lud legitur: *à nostre aimé & feal.* Gothofr. ad l. Divi, 17. ff. de jur.
 patron. Verum enim verò an sincera hæc amicitia esse possit,
 meritò ambigitur, maximè cum in Principe alia longè ratione
 quàm in privato quovis illa existat; tum quia in tanta persona-
 rum inæqualitate, quanta inter subditos ac Principem est, ami-
 citia esse non potest; tum quia mutua officia, amorq; mutuus
 non*

non sunt indissimilibus. Scip. Ammirat. *d. l. lib. 2. p. m. 959.*
 Sunt et præterea amicitia periculosa. *v. Chiliadas loco po-*
tentum. Et Plaut. in Aulular. scen. præfagiebat. Lather. l. 3.
de censu cap. 25. numer. 120, 121. & 122. ubi recitat Scoticum
 proverbium; *quò quis propinquior Regi, eò propinquior pati-*
bulo.

§. 8. Oritur autem speciosa hæc amicitia plerum-
 que vel à *similitudine morum* vel à *similitudinis imitatio-*
ne. Quemadmodum Sejanus apud Tacitum *lib. 1. A. 69.*
numer. 6 peritiâ morum Tiberii, suspicaci ejus animo &
 in acerbitem prono, fomitem irarum suggererat; Ea ami-
 citia diuturnitatem sibi polliceri potest, perpetuitatem non po-
 test. Frequentior conjunctio est ab *utili* & ab eo, quod *interesse*
 Itali vocant; Qui igitur quàm maximam divitiarum struem
 domino suo congerere, quique earum eruendarum vias inve-
 nire & rationes involutas expedire novit, gratissimus regnan-
 tibus in secretiora admittitur. Proximus est eorum charitate
 usus, ac dignitate superior, qui bello domi vel foris exorto salu-
 taria consilia proponunt vel paci referendæ, vel regno amplian-
 do: Hi, ne periculo semoto vilescant, cum purpurato Riche-
 lio incumbunt, ut bella ex bellis, pericula ex periculis, inexpli-
 cabili turbarum nexu, serantur. Alia deinceps amicitia cum
 Principibus *ob delectationem* habetur, quæ est vel *scurrarum*,
 ut Marotti & Francisci Regis Gallia: vel *jucundorum* & ser-
 mone aut vultu gratiosorum, quales *Mignons du Roy* Galli, qua-
 si delicias dicas, appellant; Sed hi omnes seu utilitate, seu vo-
 luptate expletâ, plerumque miserè gratiâ Principis excidunt,
 magnoque suo cum in commodo experiuntur, rarum esse, ma-
 gnam simul & diuturnam Principis gratiam obtinere; cum
 nemo facilè in hoc mari tam secundo flatu utatur, ut non mu-
 ratos

tatos aliquando ventos obstupescat. Cyr. Lentul. in arcan.
rerum publ. c. 45. Nos interim ab amicitia aulicâ ad civilem tran-
simus.

MEMBRUM II.

De veris Amicitia privilegiis.

§. 1. **M** Anum rei propius admoturi ipsa aggredimur pri-
vilegia, quæ sunt vel verè, vel apparenter talia; com-
miniscuntur quippe nonnunquam Dd. multa, quæ tamen in
jure exiguum aut penè nullum habent fundamentum. Ex ve-
ris privilegiis primum est, quòd, sicut conjunctus pro conjun-
cto & libertus pro patrono admittitur ad agendum sine man-
dato cum cautione rati, per *l. sed & hæ, 35. ff. de procur. l. exigen-
di. C. eod.* Ita etiam amicus pro amico, arg. *dd. 11.* Non enim
alia ex ratione Jctus in *d. l. 35.* permittit conjunctis sanguine
& libertis agere sine mandatò, quàm quod arbitratus fuerit, fi-
deliter causas propinqui acturos, eosque, pro quo egerint, faci-
lè approbaturus, ut sic judicium non reddatur frustratorium;
Si hoc in propinquis & libertis *ratione affectionis* statutum repe-
ritur, quantò magis & in amicis idem statui æquum erit, qui non
legis præsumptione, sed ipsa rei veritate tantâ affectione invi-
cem sunt conglutinati, ut una anima in duobus corporibus ef-
fescenseatur? Tiraquell. *de pæn. temper. caus. 22. num. 35.* Sa-
lycet. in *l. exigendi. C. de Procur. num. 7.* Idque non obscure
colligitur ex *l. 1. C. si per vim vel alio mod.* ubi amicus etiam sine
mandato admittitur ad recuperandam possessionem, quâ quis
absens spoliatus fuerat; Proinde cum eadem, imò major in-

terdum, uti mox dicemus, ratio in amicis quàm consanguineis
 inveniatur, lex *sed & ha, 35. ff. de Procur.* de libertis ac consan-
 guineis loquens, non dicitur extendi ad amicos, sed de amicis
 loqui; Nam ubi est eadem ratio, ibi non dicitur extensio nec
 ampliatio, *c. 33. de elect. in 6.* Hinc notanter Cynus in *l. iura ff. de*
LL. Quoties, inquit, pluribus casibus inest eadem ratio, ea deci-
 dit omnes, non quidem per extensionem, sed sicut genus com-
 prehendit omnes ejus species, sic & generalis ratio diversas spe-
 cies casuum emergentium; sed quando rationes sunt specie
 differentes, similes tamen, tunc est extensio, *i. e.* progressio de
 termino ad terminum per adæquationem seu paritatem. Ti-
 raquell. ad *l. si unquam, verb. libertis, num. 45. C. de revoc. donat.*
 Urgent equidem contrariæ sententiæ propugnatores diversi-
 tatem amicitiae & consanguinitatis, dum hanc sanguinis con-
 junctio perpetuò conservet, illam verò mutata voluntas, quæ
 ambulatoria est, sæpius distrahat, per *l. 3. in fin. & l. 4. ff. de adim.*
legat. Verùm *suprà* monuimus, nos hic non amicitiam, quæ
 vel utilitatis, vel voluptatis gratiâ quæsita talem operari solet ef-
 fectum, sed veram & infucatam tractare, quæ tam facile rum-
 pi nequit. Arist. *8. Eth. 3.* Imò amicitiae vinculum potens &
 prævalidum, nulla ex parte sanguinis viribus esse inferius, innuit
 J. C. in *l. 4. C. de castr. pecul.* in qua major amicitiae atque con-
 fortii, quàm fraternitatis habetur ratio, vide & *l. 63. ff. pro soc.*
 Tiraquell. *de pæn. temper. caus. 22. num. 1. 2. seqq.* ubi plurima in
 hanc rem congeffit. Quid quod amici in ordine scripturæ
 anteponantur consanguineis in *l. 10. §. 6. in fin.* ibi: *amicus vel*
cognatus. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 14. ibi: *amicos vel necessa-*
rios. ff. de donat. l. 50. §. fin. ibi: *caritas vel necessitudo. ff. de le-*
gat. 1. Argumentum verò ab ordine literæ, ut scil. prior no-
 minatus posteriori præferatur, in jure est validum, *l. 34. ff. de*
usufr.

usufr. l. 8. §. 4. ibi: ei solvendum cui primùm legatum est, ff. de leg. 2. l. 77. §. 32. ff. eod. l. 24. §. 17. ibi: Ordinem scriptura sequendum. ff. de fideicom. libert. Panormit. in c. ult. x. de postul. prelat. Ur-
gent ulterius dissentientes, nullam certam amici dari posse
definitionem, ut adeò prætextu amicitiaë quis ad agendum ad-
mitti non debeat; qua ratione nititur Bachov. ad Tr. V. 1. D.
9. 9. 7. lit. H. Vasq. diff. controuv. c. 23. num. 7. Verùm si de
diversis amicitiaë speciebus loquantur, nos iterum mone-
mus, eam tantùm amicitiam propriè hoc nomine venire, quæ
honestatis, virtutis & pietatis causâ contrahitur, juxta l. 223. §.
1. de V. S. Reliquos ergò amicos, qui sunt vel Sauffbrüder /
vel Spielbrüder / vel alii hujus farinaë sine mandatò agentes
ipsi nos excludimus; vidè latè Iason. in l. exigendi, C. de procur.
Siverò prædicti Dd. loquantur de difficultate probationis a-
micitiaë, nos præsupponimus, judici vel aliis constare arctissi-
mam hanc conjunctionem; cùm aliàs solam allegantem ami-
ciam nec probantem non facilè admitti, juris ratio suadeat,
utpote quæ internum affectum & animum concernit, cujus
probatio aliàs est difficillima; Et hanc ipsam probationis diffi-
cultatem Albericus in l. sed & ha persona, de Procur. num. 3. cau-
sam esse dicit, quare in praxi non admittatur amicus sine man-
dato agere volens, id quod etiam testatur Gail. lib. 2. de
P. P. c. 10. numer. 28. Planè interesse, cujus respectu Ba-
chovius d. l. affirmat, conjunctas personas fortè sine man-
dato agere posse propter spem successionis, heïc nullam haben-
dam esse rationem, ex ipsa l. 35. ff. de procur. satis constat; quip-
pe in qua nomine conjunctarum personarum etiam veniunt
affines; cùm tamen affinitatis jure nulla permittatur succes-
sio, tex. in l. 7. C. commun. de succession.

§. 2. Alterum privilegium est, quòd amicorum præsentia sicut & consanguineorum faciat cessare præsumptionem metus, ubi aliàs induceretur, text. in *l. transactionem, 35. C. de transact.* Amicorum enim præsentia non secus atque iudicis securitatis testimonium est, Alciat. *lib. 1. de præsumpt. 21.* Iason ad *l. pacta novissima 12. C. de pact.* unde Plaut. in *Persa, scen. Satin' Athene &c.* ita sub persona lenonis infit: Videtis, ego ille doctus leno penè in foveam decidi, nisi hic adesses, quantum est adhibere hominem amicū, ubi quid geras? & Bart. in *l. 1. §. quaoneranda, ff. quar. rer. act.* concludit, quod contractus, factus ab uxore in præsentia viri, præsumatur factus ob nimiam viri reverentiam; illam tamen præsumtionem tolli, si in præsentia amicorum & consanguineorum contractus ille sit celebratus. Hinc communiter cautelæ locò tradunt Dd: ad evitandam omnem suspicionem metus reverentialis adhibendos esse vel amicos vel consanguineos, Schneidevv. *§. quadrupli. J de act. num. 47.* Hæc tamen conclusio, quod *interventus amicorum faciat cessare præsumptionem metus*, notabilem recipit limitationem eò in casu, quando persona, quæ metum infert, possit etiam verisimiliter in præsentia amicorū eundem inferre; Hoc n. in casu fortior præsumptio excludit infirmiore, ac proinde in filia, quæ autoritate patris contrahit *d. lex. 35. C. de transact.* locum non habebit, cùm nulla reverentia coæquetur paternæ, quamque multorum etiam amicorum præsentia minuere aut tollere nequit, *l. 2. ff. de l. & l. Salicet, ad d. l. 35. Schneidevv. d. l. Tiraquel. de pæn. temper. 6. 22. num. 52.*

§. 3. *Mandatum* quoque originem suam ex amicitia trahit in *l. 1. §. 4. ff. mandat.* propterea etiam debet esse gratuitum, cum hominum caritas & amicitia gratuita sit, Cic. *1. de Natura Deor. p. 295. l. B. & de Amicit. p. 565. & p. 574. l. D. & seqq.*

& seqq. Quòd si igitur ipsa amicitia est gratuita, & manda-
 tum oriatur ex amicitia, ut sit quoque gratuitum mandatum
 necesse est, quo formali requisito deficiente, ipsum formatum
 deficiet, juxta *d. l. 1. §. 4. mandati*. Unde licet honorarium
 interveniat, mandatum tamen non fit mercenarium, ex *l. 6.
 ff. mandat.* Nam honorarium non est merces operæve com-
 pensatio, sed animi grati à mandante erga mandatarium de-
 claratio. Vultej. 1. I. P. R. *cap. 38.* Non est merces eximii la-
 boris appellanda *l. 34. §. 1. de donat.* veluti si ab hostibus te re-
 demero. *d. l. 34.* Si tibi de vita periclitanti ut medicus aut pa-
 tronus adfuero; Si satis pro te dederò; si qualibet in re opera vel
 gratia mea usus fueris. *l. 19. §. 1. de donat.* Si eloquentia & di-
 ligentia tua me meliorem reddideris, *l. 27. de donat.* His enim
 non rei pretium, sed operæ solvitur. *l. 9. §. 1. in fin.* Quòd
metus causâ; quòd deserviunt, quòd à rebus suis nobis vacant,
 mercedem non meriti, sed occupationis ferunt. Seneca *6.
 de benefic. cap. 15.* Amesius *5. de casibus Conscient. cap. 42. theor.
 17.* Patrus Faber *ad l. 176. §. 1. de R. I.* illudque honorarium na-
 turam contractus nominati non immutat *arg. l. 1. pr. Si
 mensor. fals. mod. dixer. l. 3. in f. de obseq. parent.* quia non con-
 stituitur ab initio ut vera merces, sed tanquam gratuita operæ
ultronea remuneratio extrinsecus accedit. Donell: *l. 13. Comm.
 c. 10.* Et in *d. l. 6. ff. mandat.* honor figuratè appellatur pe-
 cunia data, promissæve, causa honorandi vel remunerandi,
 Hahn. *ad VVesenb. de mandat. num. 3.* Ulterius in mandato
 non solum lata & levis, verum etiam levissima culpa præstan-
 da est, *l. 23. de R. I. l. 13. 21. C. mandat.* Et licet in mandato
 saltem mandantis utilitas versetur, ac proinde mandatarius
 ad culpam levissimam adstringi vix possit, juxta text. in *l. 5. §.
 2. ff. commodat.* attamen amicitiae & fidei violatio hanc culpæ
 levissimæ præstationem à mandatario expressit, in *d. l. 13. C.
 l. 21. C. mandat.* Id quod ex egregio Cicer. *pro Rosc.* loco notum
 C fit;

fit: Itaque, inquit, mandati constitutum est iudicium non minus turpe, quam furti: credo propterea, quod, quibus in rebus interesse ipsi non possumus, in his opera nostra vicaria fides amicorum supponitur: quam qui ledit, oppugnat omnium commune praesidium, & quantum in ipso est, disturbat vitam societatem. Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia re est magis utilis; idcirco amicitia comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut ad tuum commodum conversurus, aut neglecturus es? Recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse, quod minimè videtur grave iis, qui ipsi minimè leves sunt. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violet, amicitiam & fidem. Nam neque mandat quisquam ferre, nisi amico: neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi igitur est hominis, simul & amicitiam dissolvere & fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. Haec tenus Cicero pro Rosc. Amerino. p. 41. l. D. & seq. Sed, an etiam mandati tenebitur actione, qui amicabili affectione ductus consilium alteri praestat? N. nisi dolo quid fecerit, quo casu de dolo, non verò actione mandati tenetur, text. in l. 10. §. 7. ff. mandat.

§. 3. Occurrit eadem amicitiae consideratio circa depositum; Plerumque enim apud amicos deponimus; eamque ob causam, qui minus diligentem amicum elegit, sibi imputare debet, argum. l. 1. §. 2. ff. de eo per quem factum erit &c: nec eum nisi de dolo & lata culpa in simplex obligatum habebit, §. 3. J. quibus modis re contrah. oblig. Quatuor tamen casus à Praetore excipiuntur: si quid tumultus, incendii, naufragii, ruinae causa depositum sit, quò casu non in simplex, sed in duplum obligabitur depositarius. l. 1. §. 1. & l. 18. ff. deposit. Continetur enim in his fortuita depositionis causa, descendens ex necessitate, quae passa non est diligentio-

delio-

deliorem eligere hominem. *d. l. i. §. i.* Cujus etiam respectu
 crescit perfidiæ crimen & publica utilitas coercenda est, *d. l. i. §.*
 3. Ex modò dictis patet, quare in actionibus directis mandati
 & depositi ex dolò (non enim sentimus cum Bachov. *ad VVe-*
senb. de his qui not. infam. num. 3. qui etiam ob latam culpam
 poenæ huic locum esse contendit, quem refutat Hahn *ad VVe-*
senb. eod.) damnatus; fiat infamis, scil: id fit propter ruptum a-
 micitiæ vinculum & violatam fidem. *d. l. i. §. 5. 7. ff. de his qui*
not. infam. Quod in aliis contractibus, puta, *emptione, vendi-*
tione, commodatò & similibus minimè locum habet; Quan-
 quam enim vertatur amicitia & beneficium in commodatò,
 non tamen dantis causâ, sed commodatarii fieri solet, qui suæ
 indigentiaë confulit; cum in mandatò ac depositò versetur
 improbitas & fraus contra amicitiam & beneficium ejus, cu-
 jus principale est negotium, qui non potuit sibi cavere à frau-
 de ejus, cum quò contraxit, atque ita in fraudem incidit. Ita-
 que causa infamiæ in damnatis istis judiciis est, quia fides data
 est per speciem amicitiaë ei, qui alicujus operâ & fide indigens
 in re aliquâ eam expetit, & ab eò susceptam sequitur, ejusque
 tanquam amici fidei rem credit atque committit, Zoes. *in*
Comm. ff. de his qui not. infam. num. 6. & Frantzk, *in Comm. ff.*
eod. num. 12.

§. 4. Porro in negotiis gestis regulariter præstari cul-
 pam levissimam, juris est notissimi, per text. express. in §. 1. 1. *de*
obl. qua quas. ex contr. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. Attamen inter-
 dum in negotiorum gestorum actione dolus tantummodo præstatur;
 nam, si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te
 meis obtuleris, & sic ex officio amicitiaë gesseris, uti loquitur *l. 23.*
ff. de reb. auth. jud. possid. equissimum est dolum duntaxat te præ-
stare, l. 3. §. 9. ff. de negot. gest. Et hinc quoque est, quod contra-
 ria negotiorum gestorum actio cesset, si pietate & affectione
 ductus sumptus quis fecerit, *l. 27. §. 1. l. 34. ff. l. 1. l. 15. C. eod. Ami-*

cus enim quodammodò locò Patris est, unde, qui tali amicitia motus in rem alterius aliquid erogavit, exemplò Patris à repetitione removetur; Luc. de Penna ad *l. 1. C. de castr. pecul.* Tiraquell. *tr. de pœn. temp. c. 22. num. 63.* Idque egregiè confirmat Ulpianus, *Is, inquit, qui amicitia ductus paternâ pupillis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulavit, nullam adversus eos habet actionem,* in *l. 44. ff. de neg. gest.* cum tamen privilegiò hoc remotò actio adversus eos sit danda, si eorum intuitu quid erogasset, juxta *l. 6 §. 6. ff. eod.* Hahn ad *Vvesenb. de negot. gest. num. fin.*

§. 5. Circa tutelam verò ejusque administrationem disputari solet de amicitia; hinc Cujac. *l. 7. obs. c. 8. totam l. 223. de V. S.* ubi, quis verus sit amicus, definitur, ad tutelam refert, tum, quod ob latam culpam remoti tutoris multò gravior sit conditio, quàm remoti ob culpam levem; quandoque enim solam culpam latam præstat tutor, non levem, *l. 7. §. 2. vers. quid ergo ff. de administr. tut.* tum, quod propter absentiam tutoris nimiam, ejusve negligentiam, amicorum affiniumque evocatorum consilio, nominatione & expositione alius sæpè substituitur, vel curator adjungitur. text. in *l. ult. ff. ubi pupill.* Solent & amici parentum pupillis tutorem petere, *l. 2. ff. qui pet. tut.* vel datum postulare suspectum, *l. 44. ff. de neg. gest. §. consequens, 3. l. de susp. tut.* Simili modò si alimenta desideret pupillus, præsentibus cognatis, propinquis & amicis paternis solet Prætor pupillo decernere alimenta & statuere, ubi potius alendus sit. *d. l. ult. ff. ubi pupill.* Cujac. *d. l. Goedd. ad l. 223. de V. S.*

§. 6. Ulterius licèt mora regulariter committatur vel ex solâ tardatione circa rei præstationem, *l. 23. §. 1. ff. de Usur.* vel ex die obligationi adjectâ, *l. 12. C. de contrah. & commit. stipul. l. 2. C. de jur. emphyteut.* vel per interpellationem factam oportuno locò & tempore *l. mora, 32. ff. de usur.* Notabiliter tamen

tamen id ipsum fallit in eo, qui ad commodam solutionem debiti amicos majoris securitatis gratiâ quærere voluit; *non enim omne quod differendi causâ optimâ ratione fit, mora annumerandum; quid enim si amicos adhibendos debitor requirat?* inquit Ulpian. in *l. sciendum, 21. ff. eod.*

§. 7. In promiscuo quoque rerum usu sese conspiciendam præbet amicitia; quippe amici bona omnia communia esse oportet; consortium, ait Senec. *ep. 48.* rerum omnium inter nos facit amicitia, & omnia cum amico communia amicus habebit; id quod confirmat Pontifex his verbis: *omnia amicis sunt communia, imò & conjuges,* in *c. dilectissimi, 2. c. 12. q. 1.* Paradoxon hoc primâ fronte alicui videbitur; licet enim de Britannis Laonicus *lib. 2.* (quem citat Bachov. *V. 2 ad Tr. D. 6. 8. 7. l. C.*) memoriæ prodiderit, *jam suo tempore circa annum 400. per totam insulam hunc morem servatum fuisse, ut quando quis amici domum vocatus ingrederetur, prius cum uxore concumberet: in peregrinatione quoque mutuis amicos uxoribus uti;* tamen, inquit Bachov. *d. l.* illud vix adducor, ut credam; nimia enim esset summeque culpanda facilitas virorum, tantam libertatem uxoribus indulgentium, ut propriæ uxores unicuique venienti essent communes, & valdè dubito talem virum reperiri, qui intimo etiam amico hanc libertatem concederet. In quo ergò, inquires, locum habet Pontificis decretum in *all. c. 2.?* Respondent Dd. quos allegat & sequitur Nevizan. in *sylv. nupt. l. 4. num. 84.* restringendum illud esse ad ea, *quæ carnis usum non spectant.*

§. 8. Huc pertinet amicitia privilegium traditum in *l. si libertus, 27. ff. de oper. liber.* Pone enim Titium habere libertum, qui calleret artem Pantomini, vel esset alterius voluptatis artifex, uti loquitur Jctus in *l. 7. §. 5. ff. eod.* vel etiam medicinam exerceret, quæro, an tantum ipsi domino, an verò etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere & amicos

domini gratis curare teneatur? Hoc equidem sibi non persuaserit libertus, aliis præter patrono officia præstare detrectans; Attamen id expressè statuit Julianus in *d. l. 27.* si nimirum id fiat voluntate domini, qui non semper ludos facere, aut ægro-
tare potest, *d. l.* Neque verò ex præsumtâ hac atque conjectu-
ratâ tantum in favorem amicorum stipulatione tutò collige-
re licet, amicum pro amicò posse stipulari, cum ne frater patri
stipulari possit, nisi cum sunt in ejusdem potestate, §. 1. *J. de sti-
pul. servor.* eadem ratione, quâ pater filiò in potestate con-
stitutò stipulari potest, & contra filius patri, in cuius est pote-
state, & servus domino, per *d. §. 1. & l. 45. ff. de V. O.* Quod
si filius sit emancipatus non potest stipulari patri, *l. 59. §. fin. ff.
ad Sct. Trebell.* cum patria potestas jam evanuerit, Bald. in *l.
8. C. de execut. rei iud.* Tiraquel. *de pæn. temper. caus. 22. nu-
mer. 21.*

§. 9. In genere autem observandum, toties quoties
in præjudicium absentis aliquid fieri debet, ejus vocandos esse
amicos, text. in *l. ult. ff. ubi pupill. l. 22. ff. ex quib. caus. major.* ubi
Edictum Prætoris non aliter locum habere dicitur, quam si a-
mici ejus interrogati fuerint; an defendant. Ex quò textu
notat Bart. quòd, ut quis dicatur verè contumax, requiratur,
ut ipsius amici inquirantur, an velint defendere. Hinc dicitur
in *l. 5. §. 1. ff. quib. ex caus. in poss. antequam decernatur bonorum pos-
sessio, evocandos esse ad Prætores tutores pupilli, ut defendant, si au-
tem non habeat tutores, requirendos esse cognatos vel alios, quos
verisimile est, defensionem pupilli non omissuros, vel propter necessi-
tudinem, vel propter charitatem.* Propterea etiam plerique,
quos longâ serie citat Tiraquel. *de pæn. temper. caus. 22. num. 70.*
volunt, citandos esse amicos debitoris, antequam perveniatur
ad secundum decretum; id quod in mediò relinquimus.

§. 10. In

§. 10. In *ultimis* quoque *voluntatibus* non exigua amicitiae habetur ratio, quae partim in *heredibus instituendis*, partim etiam in *legatis* conspicitur; Quoad illos certum est, neminem in testamento heredem institui posse, nisi nominatim à testatore sine omni errore fuerit institutus; falsa enim demonstratio viciat institutionem, *l. 9. pr. ff. de hered. instit.* quod si tamen nomen heredis testator non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod penè nihil à nomine distat, cum nomina imponantur ex arbitrio & beneplacito, *l. 4. C. de testam.* valet institutio *l. 9. §. 8. ff. de hered. instit.* Hinc J. C. tus in *l. 58. §. 1. eod.* ait; *Qui frater non est, si fraternam charitate diligetur, rectè cum nomine suo sub appellatione fratris haeres instituitur.* Fratris vocabulo hoc loco *amicum* inditari nemo est qui dubitet; *Mantic. de coniect. ult. volunt. l. 4. t. 5.* cujus persona cum incerta aut perperam intellecta esse non possit, merito valere debet institutio amici singularis sub nomine fratris, Gothofr. ad *d. l. 58.* Nec quicquam negotii facit *l. 4. C. de hered. instit.* quam opponit Bart: ad *d. l. 58.* quia cum nostro casu nihil habet commune; ibi enim testator non erravit in personam, sed in qualitate; certam enim personam instituit, quam putabat sibi esse filium, qui postea inventus est suppositus. Bachov. ad *Tr. V. 2. D. 11. §. 3. lit. B.* Neque mirum alicui videri debet, quod jam de fratre dictum est; Leges enim pluris aestimarunt amicitiam, quam fraternitatem, dum magis amicitiae & consortii rationem habent, quam fraternitatis, ad metiendam scilicet: qualitatem rerum à fratre, eodemque commilitone donatarum, text. elegantiss. in *l. cum allegas, 4. C. de castr. pecul.* ubi si frater ex commilitio amicitior factus, fratri commilitoni quidpiam donaverit, ut in peculio castrensi habendum est, consideratam potius amicitiae qualitate ex militiam auctae, quam fraternitatis; Estque omnino similis textus, nisi quod generaliter de

de agnatis loquatur, in *l. pen. pr. ff. eod.* Quorum legum auctoritate subnixus Alberic. in *l. sed & ha persona, ff. de Procur.* dicit, amicitiam plus habere ponderis, quam fraternitatem.

§. 11. *Incertitudo circa personas* vitiat ultimam voluntatem, etiam in *legatariis*, nisi incertitudo ista certa fieri possit, §. 25. *J. de legat.* Quod si ergo inter duos dubitetur de eodem legato, cui potius dari oporteat, ut puta, si e. g. Titio relictum est, & duo ejusdem nominis amici testatoris veniant & legatum petant, eligere debet hæres, cui solvat, text. in *l. 8. §. 3. ff. de leg. 2.* Si verò alter eorum majori charitate & necessitudine testatori fuerit conjunctus, ei debetur legatum, *l. 50. §. 3. ff. eod.* ibique Socin. In simili, si Titius in testamento datus est tutor & duo sunt Titii, nec apparet, de quo sensit testator, neuter est tutor; non enim jus, sed probatio deficit, text. in *l. 30. ff. de testam. tut.* Nisi appareat, testatorem de uno ex illis sensisse, *d. l.* id quod cum aliis conjecturis probari potest per amicitiam, quam habebat magis cum uno, quam cum alio, uti hoc non obscure colligitur ex *d. l. 30. & l. 50. §. fin. ff. de legat. 1.* Bart. in *d. l. 30. num. fin.*

§. 12. Est & aliud amicitiae privilegium non vulgare in legato Ecclesie Episcopo relicto; quod si enim quis ita testatur: *Relinquo illud Episcopo*; Distinguendum est, utrum relinquatur ab extraneo, an verò à propinquo; Si ab extraneo, generaliter verum est, quod præsumatur relictum intuitu Ecclesie, non personæ: si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur illud relictum non intuitu Ecclesie, sed personæ, nisi contrarium probetur, & de isto nihil potest Ecclesia petere in ejus vitâ, text. in *c. requisisti. 15. x. de testam.* Id quod etiam eo in casu obtinet, quando longa dilectio & amicitia fuit inter Episcopum & testatorem, per text. in *c. 2. c. 12. q. 3. ac pro-*

proinde Panormitan. in *d. c. requisisti*, notat, ea, quæ in isto
textu disponuntur ratione propinquitatis, locum quoque sibi
vendicare in amicô. Tiraquel. *de pæn. temper. cass. 22. nu-
mer. 24.*

§. 13. Et hæc quidem *ratione personarum* ita obti-
nent, superest autem *ratione rerum* alius amicitia effectus; Re-
enim alienâ legatâ, necessitate juris adstrictus est hæres, ut eam
redimat, vel æstimationem præstet, §. 4. *J. de legat.* modò
alienam esse sciat testator, cuius rei probandæ onus impositum
est legatario, *d. §. in fin.* tum, quia est actor, cui naturali æquita-
te intentionem suam probare incumbit, *l. 4. C. de edend. l. 21.
ff. de probat.* tum, quia non præsumitur testator necessitate
hac gravare voluisse hæredem, Bachov. *ad Tr. V. 2. D. 13. §. 5.
lit. B.* Ab onere hoc subeundò excepti sunt amici & proxi-
mæ personæ in *l. 10. C. de legat.* ubi Imp. Alex. in hæc verba re-
scribit: *Cum alienam rem quis reliquerit, siquidem sciens: tam ex
legatò quam ex fideicommissò ab eò, qui legatum seu fideicommissum
meruit, peti potest. Quod si suam esse putavit, non aliter valet reli-
ctum, nisi proxime persona, vel uxori, vel alii tali personæ datum
sit, cui legaturus esset, etsi scisset rem alienam esse.* Scilicet, sola
affectio præsumptionem illam, testatorem, si scivisset rem alic-
nam esse, eandem non legasse, fortiori præsumptione excludit.
Iason ad *d. l.* Et illa ipsa amicabilis animi inclinatio ut pluri-
mùm fortior erga amicos, quam consanguineos esse solet;
neq; ullâ ex parte sanguinis viribus inferior: Hoc etiam certius
& exploratiùs, quod hanc nascendi fortuitum opus, illam
verò uniuscujusque solido iudicio inchoata voluntas contra-
hit. Val. Max. *l. 4. c. 7.*

§. 14. Hactenus vidimus amicitia jura in rebus ac
negotiis *civilibus*, restat, ut paucis ea quoque contemplemur
in causis *criminalibus*; Circa quas in universum sciendum,

D

ami

amicitiam non excusare quidem delictum, ejusdem tamen
 pœnam nonnunquam elevare, Gothofr. ad *Nov. 74. c. 4.*
 vide omninò Tiraquel. *de pœn. temper. c. 22. num. 85.* in spe-
 cie verò in actione injuriarum singulare occurrit; Licet n. sola
 verba per se injuriosa affectum injuriandi arguant, ac proinde
 injuriarum actioni locum faciant, *l. 3. 4. ff. de injur. l. 6. §. 4. ff.*
de his qui not. infam. l. 10. in fin. C. ex quibus caus. infam. irrog.
 Nam sicut se habent verba, ita præsumitur animus esse, Bl. in
l. si non convitii, 5. C. de injur. Nec aliter nisi per juramentum
 purgationis intentatâ actione sese exonerare possit, cum ea,
 quæ consistunt in animò & conscientiâ, juramentò probari
 debeant, Jason in *§. sed ista, 1. de act.* Gail. *l. 2. obs. 106.*
 Carpz. *p. 1. C. 22. D. 2.* Judicem tamen hac in re circumspe-
 ctum & providum esse debere, juris ratio suadet; Utenim in
 cæteris, ita & hujusmodi in causis personarum conditio dili-
 genter est æstimanda, ne quid durius constituatur, quam causa
 postulat, *l. 4. §. 1. in fin. ff. de incend. ruin. naufrag.* Quid e-
 nim si injuria ab amicò, vel simili personâ fuerit illata? Certè
 ratio summæ conjunctionis tollit præsumptionem inferendæ
 injuriæ; affectu enim propensiore magis, quam dolò malo id
 videtur fecisse, *l. pen. §. fin. ff. quod fals. tut.* Bart. in *l. ut vim,*
num. 4. in fin. ff. de j. & j. Et corrigendi potius, quàm injurian-
 di animus in amico, propinquis, magistris & majoribus præ-
 sumitur, text. express. in *l. 10. §. 2. ff. de pœn. l. un. C. de emendat.*
propinquor. l. 5. §. ult. ff. ad Leg. Aquil. Menoch. *l. 2. arbitr. jud.*
quest: cas. 304, p. 101. Gail. *d. l. n. 6.* Eadem amicitiæ con-
 sideratio occurrit in actione injuriarum reali; si quis enim per
 jocum fortè alium percutiat, injuriarum non tenetur, *l. 3. §. 3.*
ff. de injur. quia scit se injuriam non facere & animum injuriæ
 faciendæ non habere, Gothofr. ad *d. l.* Sed, inquires, unde
 detegitur, an ex joco, an verò malâ intentione pulsatio facta
 fue-

fuerit? Et hinc personarum qualitas, utputa, si id factum ab amico, socio, similibusque personis, animum prodere poterit, *d. l. 16. §. 2. ff. de pœn.*

§. 15. Alterum subintrat crimen, in quo privilegium *amicitiæ* perspicitur, quod est *receptio facinorosorum*, quando quis delinquentibus in suo vel alieno abscondendi causâ refugium præstat, *l. 1. §. 2. ff. de serv. corrupt.* quem eadem teneri pœnâ, quam facinorosi sustinere debuissent, vulgò autumant; *l. 1. ff. de receptat.* Quod procul dubio de iis receptatoribus erit intelligendum, qui opem simul & auxilium præstant; quod si enim de nudâ receptatione moveatur quæstio, pœnâ saltem arbitrariâ eos afficiendos æquus rerum æstimator judicabit, per *l. 2. C. de his, qui latron. vel alios crim.* Wesenb. in *Digest. de receptat. num. 1.* Sed an amici etiam hujus arbitrariæ pœnæ respectu de aliquo laxamento gloriabuntur? Ita omninò sentimus, cum non par sit eorum delictum & eorum, qui nihil ad se pertinentes recipiunt, text. in *l. 2. ff. de receptat.* Gail. 2. de P. P. c. 10. num. 27. Cardin. Tusch. *l. a pract. conclus. 326.*

§. 16. Amicitia quoque operatur, ut homicidium casu potius, quàm dolo malo factum videatur, *argum. l. 1. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* ibique gloss. omninò; Licet enim, homicidio perpetrato, mala præsumptio contra homicidam confestim exoriat, text. in *l. 5. C. eod. cap. 1. de præsumpt.* quæ ipsum in tantum aggravat, ut onus probandi, se scil. non dolo sed casu fortuito homicidium commisisse, subire cogatur, *arg. l. 5. C. de injur.* quia enim hominem privatâ auctoritate occidere de genere prohibitorum est, ex ipso facto perpetrato jura de occifore malè præsumunt, *Frantz. l. 2. resol. 20. num. 19.* Illam tamen dolosæ intentionis præsumptionem intima cum occiso antea acta amicitia excludit, homicidiumque non dolo, sed casu factum intelligitur, *Felin. c. ult. de*

homicid. Jason in *l. 1. ff. de LL.* Id quod etiam non obscure innuit *Ordin. Crim. Carol. V. art. 143.* ubi sapientis iudicis arbitrio hæc committuntur, Sed ne hic impingamus, modò dicta tunc vera esse opinamur, quando ex qualitate facti iudex esset indifferens, cui ex litigatoribus debeat animum applicare, an ei, qui facit dolum præsumi, an ei, qui minus; cùm pro utraque parte sint conjecturæ; tunc enim pro eâ parte, pro quâ amicitia favor stat, causam decidere debet, ex mente *Jacobi de Butrio & Saliceti ad l. 1. C. ad L. Corn. de sicar.* ibique gloss. per quam dicit *Petr. Rebuff. de privil. schol. 104. num. 13.* se defendisse quendam scholarem, qui socium interfecerat.

§. 17. Tandem, licet grave sit crimen, *amici detegere secreta*; qui enim ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est, celat amici commissum, *Proverb. 11. c. 5. q. 5. cap. 5. v. gloss. de pace Constant. §. in Christi nomine. l. 41. inf. pr. ibique Gothof. ad l. Aqu. l. 1. §. 5. de fals.* idque æque in sacerdotibus verum est, *3. q. 7. cap. 7. cap. 2. de Offic. Ordinar. cap. 13. de excess. praelat. c. 12.* vide omninò *Menoch. l. 2. arbitr. iud. quest. cas. 537.* amicitia tamen privilegium in tantum se non extendit, ut etiam gravissima contra Rempubl. vel Principem, vel aliò modo perpetranda delicta celari posse præsumas, v. *Innocent. ad cap. 27. & 18. de Accusat.* *Menoch. de Arbitrar. casu 355. n. 4.* *Ameslib. 5. cap. 55. de casibus conscient.* quippe suprâ membr. 1. §. 5. notare antevertimus, amicitiam vinculum iniquitatis esse non debere; ac proinde cum paucos ante annos in Galliâ quaestio hæc exagitata fuerit in causâ Thuani, magni illius Historici filii, qui *Mareschalli le Grand* intimus amicus & Consiliarius erat, quem Galli vocant *le confident*, nec in conspiracyem *Mareschalli* vel operâ, vel consilio consenserat, denunciare ta-

men

men id, quod amicus suo intimo unicè revelaverat, noluit; Pœna nihilominus capitalis ei fuit dictata, per ea, quæ tradit Nic. Myler. *in add. ad Rumel. p. 3. diff. 4. ad. A. B. 9. 19.*

§. 13. Unicum *publicam* concernens *amicitiam* privilegium his omnibus annecto, justam scil. causam belli suscipiendi esse *amicitiam*; Pax enim violatur, in fit *L. Quintus apud. Liv. lib. 34. his maximè duabus rebus; si socios meos pro hostibus habeas, si hostibus meis te conjungas.* Ac proinde sæpissimè non pro sociis tantùm, quibus ex foedere id debebatur, sed pro amicis bellum susceperunt, aut suscipere minati sunt Romani, H. Grot. *de jur. B. & P. l. 2. c. 25. num. 5.* Qui inter alia *amicitiam* in tantum observarunt, ut in jure postliminii captus ab hostibus reversus intelligatur, si ad amicos pervenerit, non minus, quàm si intra præsidia illorum esse cœperit, text. in *l. postliminii, s. §. 1. ff. captiv. & postlim. revers.* Tiraquell. *de pœn. temper. caus. 22. numer. 68.*

MEMBRUM III.

De Amicitia privilegiis apparenter talibus.

§. 1. Sic fuerunt *amicitia privilegia propriè & verè* sic dicta; Sequuntur jam, quæ *apparent* talia, sed non sunt; Quippe Doctores auctoritatibus invicem nimium tribuentes, comminiscuntur varias adhuc *amicitiæ* prærogativas, in quarum rationem juris penitiùs si inquiras, sæpissimè nullam aliam, quàm: *ita dominus meus respondit*, invenies. Primò itaque multi, quos allegat Tiraquell. *tr. de jur. primogenit. q. 17. opin. 2.*

Theſſaur. *decif.* 206. *Casus pro Amico* fingunt; quos ſequi ex parte videtur Bachov. *ad Tr. V. 1. D. 1. 0. 1. lit. B.* motus præprimis eò, quod nonnullæ quæſtiones juris merè civilis opinionibus interpretum ita utrinque agitatae ſint, ut Judici aqua hæreat; hinc deciſionem imperatoriam requirerent alii, alii opinionem communem contra communem adducerent; Verùm annon confestim exinde concludere licebit; Ergò poterit in tantâ rerum incertitudine ſententiam *pro amico* ferre & arduis hiſin negotiis ex monito Philoſophorum amici cauſâ de viâ declinare? *Gellius noct. Attic. 3.* Minimè; ac proinde tutiùs ire videntur, qui in caſu omninò pari, ſive agatur de jure, ſive de factò, judicem utrique parti parem ſe exhibere debere, nec ſine peccatò *pro amico* judicare poſſe, aſſerunt. Menoch. *l. 2. arbitr. iudic. queſt. cas. 339. num. 22. ſeqq.* Zœſ. *in Comm. ad ff. d. iudic. num. 32.* Ad utrumque n. litigantium iudex, utpote lex quædam animata, æqualiter ſe habeat, ne aliàs alteri juſ ſuum tollatur. *Navarr. ad c. ſi quis autem, de pœnitent. diſt. 7. n. 130.* Qui ergò, in quibus in ambiguis & dubiis rebus ſeſe expediet? Reſpondeo cum *Ulpiano* in *l. 79. §. 1. ff. de iudic.* prout religio ſuggerit, ſententiam proferre, nihilque gratiæ tribuere debet. Quod ſi leges & rationes juris æquè prægnantes utrinq; militent, nec aliud circumſtantiæ ob poſſeſſionem, cauſæ favorem, aut odium, ob qualitatem juſtam perſonarum ſuadeant, *c. fin. x. de iudic.* rem controverſam pro ratâ dividat inter litigantes, vel ad tranſactionem amicabilem partes inducat. Bernh. Schotan. *in exam. jurid. lib. 1. p. m. 4.* Grave quippe eſt in re dubiâ certam ferre ſententiam, *cauſ. xi. q. 3. cap. 74.* Quocirca qui in re dubiâ *pro amico* pronunciare vult, omnem priùs exuat dubietatem & firmiter credat, illi juſ eſſe vel ſaltem pro eò eſſe judicandum; privati verò amoris affectionem abjiciat juſtus iudex & Deo, non amico ſerviat; Menoch. *de arbitr.*

bitr. judic. quest. lib. 2. cas. 339. num. 32. Licet ergò Bachov. *supr. all. loc.* excludat talem personarum respectum, qui impediatur administrationem & executionem justitiæ & ab eâ defleat, quales casus Thesaur. *d. cis. 206.* vocat *pro diabolo*; ab illis tamen ipsis casibus, quos ponit, non omnem *πρωτοπλουσίαν* esse exclusam ultrò patet.

§. 2. Pergunt Dd. in fingendis *amicitiæ* privilegiis, talem ponentes regulam: *Quicquid statuitur inter conjunctos & necessarios, hoc ipsum quoque obtinet inter amicos*; Panormit. in *c. requisisti, x. de testam.* Tiraquel. *de pæn. temper. caus. 22. num. 23.* ibique allegati. Ex quo falso principio falsas eliciunt hypotheses, scilicet amicum venire appellatione suorum; hinc (1.) *amicitiam* habere vim clausulæ codicillaris, si in testamento institutus sit amicus valde dilectus testatori, cui quinque tantum testes adfuerunt; valere nihilominus testamentum, æquè ac si inter liberos tantum, juxta *l. fin. C. famil. hercis.* illud fuerit confectum, *gloss. in l. si jure. 11. C. de testam. manum.* Et licet Bald. *ibid.*, id simpliciter affirmare non audeat, nisi libertatis favor concurrat, tamen id ipsum sine delectu Jason & Alex. in *l. cum alienam. C. de leg.* asserunt. (2.) Donationem amico intimo factam supervenientiâ liberorum non revocari, Socin. *consil. 39. lib. 3.* Tiraquell. *ad l. si unquam, verb. libertis. n. 107. C. de revoc. donat.* omninò (3.) dispositionem *l. cum avus. 102. ff. de condit. & demonstr.* ut & *l. cum acutissimi, 30. C. de fideicom.* etiam ad amicos esse extendendam, ita ut soboles amici hæredis instituti in testamento *amici summè conjuncti* & hæreditatem post mortem restituere gravati, substitutum excludat, sicut & soboles filii. Barbos. & alii in *repet. d. l. cum acutissimi.* His omnibus merè divinatoriis privilegiis opponimus, quod quæ in liberis specialiter in jure sunt constituta, ad extraneos, utcunque intimos amicos extendere durum admodum

dum & minus legale sit; cum major affectio sit ad liberos quam ad amicos, *arg. l. 8. §. 3. ff. quod met. caus.* Omnia enim quæ *suprà* passim de æquandâ aut etiam præponendâ amicitia consanguinitati dicta sunt, intelliguntur in iis tantum, quæ ad naturam & sanguinem non pertinent, locum habere; jam verò naturæ pariter & parentum votum commune filios ad bona ipsorum admittit, *text. in l. 7. §. f. ff. unde liberi.* Qui ergo jura fuitatis amicis tribuenda erunt? Hinc eleganter Socin. in *d. l. cum avus. ff. de condit. & demonstr.* dicit, quod prædictæ leges *cum avus.* & *l. cum acutissimi* non modò intuitæ sint personam instituti; verùm etiam perpenderit sobolem ejus, quæ fecit fideicommissum deficere; Ratio enim sanguinis in descendentes extenditur; At amicitia non censetur eadem erga descendentes amici, quæ est erga amicum, nec amici mei filius meus est protinus amicus ex eo tantum, quòd amicus patris ejus fuerim, cum amicitia morte sit extincta; & forsàn non ea conveniant in filio, quæ in ejus Patre; cessante igitur in amico ratione prædictarum LL. cesset quoque dispositio necesse est *per vulg. jura. vide Geil. 2. d. PP. cap. 10. n. 28.*

§. 3. Tandem amicitiam nonnulli extendunt ad *actionem injuriarum*, ut, quemadmodum conjunctæ personæ, pater, filius, frater, affinis, &c. propter injurias in filium, fratrem, affinem evomit, actionem injuriarum intentare possint, ita etiam amicus pro amico idem juris habeat, *Alciat. de presumpt. reg. 1. presumpt. 28. n. 4. Andr. Sicul. in rep. l. cum acutissimi. C. de fideicom. Petr. Rebuff. de priv. Schol. priv. 204. n. 8.* Verùm dubium adhuc est, an omnes conjunctæ personæ, præsertim in lineâ collateralis, injuriam consanguineo factam persequi valeant, *Mench. lib. 2. arbitr. jud. quest. cas. 262.* Ex quo enim in persona Patris, Soceri, Domini, Mariti, Sponsi singulariter est constitutum, ut pro injuria facta liberis, nurui, servo, uxori,

uxori, sponsæ experiri possint, §. 2. 3. l. de injur. l. 1. §. 3. l. 15. §. 24 ff. eod. colligere hinc licet, in aliis conjunctis personis ut & amicis diversum fore statuendum, ne jus singulare ad consequentias trahamus, vel plura singularia in uno eodemque subjecto admittamus, à quo jus abhorret, Covarruv. lib. 3. var. resol. c. 19. n. 1. maximè cum injuriarum causa judicii privati contineat querelam, l. 7. & ult. C. de injur. in terminis igitur judicii hujus subsistendum erit, cujus proprium, ut is saltem, qui offensus aut læsus est, non verò alius sive sit amicus, sive alius, pro ipso agere possit, l. 22. pr. C. de furt. Gomez. tom. 3. resol. c. 1. n. 9.

MEMBRUM IV.

De Oneribus Amicitie.

§. 1. **S**unt & sua amicitie onera, quæ ut & hic rudi penicillo ad umbremus, ordo postulare videtur. Inter ea autem vel maximè conspicuum illud est, quòd *judex ob amicitiam, quæ cum altero ex litigantibus colit, ut suspectus recusari ejusque cognitio declinari possit* text. in l. apertissimi, 16. C. de judic. l. 9. ff. de liber. caus. l. 5. pr. ff. de injur. c. adhec, de Rescript. vide benè Carpz. in process. jur. tit. 3. art. 4 §. 6. num. 96. quia propinquitatis & familiaritatis affectio veritatem impedire solet; amor quippe carnalis & timor plerumque sensus hebetant humanos & pervertunt opiniones, caus. 3. q. 5. cap. 12. & sic non videtur controversiam dirempturus secundum justitiam, cum dictæ affectiones plus judicem non rarò commoveant, quàm textus in Codice. Zæf. in ff. de judic. num. 95. Hæc tamen recusationis exceptio ut effectum sortiatur, necesse est, cum sit dilatoria, ut ante litis contestationem opponatur, l. fin. C. de except. l. 4. C. de jurisd. omn. jud. ne videatur quis tacendo in judicem consentire, seu judicium suscipere, l. 52. pr. ff. de judic. nisi suspicionis causa post litem contestatam supervenerit, de

E

que

que eâ evidenter constet, quia quæ de novo emergunt, novô opus habent remedio. *l. 11. §. 8. ff. de interrog.* Gail. *1. obs. 33. n. 11.* Mynsing. *4. obs. 59.* In eo autem difficultas est, an solum *delegatus*, cujus in *l. apertissimi. C. de judic.* tantum fit mentio, an vero & *ordinarius*, qui præsumptionem fidei & justitiæ habet pro se, possit recusari? Et jure quidem Canon. res videtur expedita, cum eo etiam ordinarius, ablatâ ei causæ cognitione, recusetur, ut lites sine suspitione procedant, *c. 4. de for. compet. c. 61. de appell.* Jure verò Civili rationem dubitandi subministrat *d. l. apertissimi.* quæ tantum de delegato judice concepta; quam etiam sententiam fovent Gail. *1. obs. 33. pr.* Sichard. *in d. l. 16. C. de judic. num. 18.* Verum, cum ratio in *d. l.* scilicet, *ut omnes lites sine suspitione procedere debeant*, etiam ordinario conveniat, quis meritò dubitaverit, & illum recusari posse? quod & non obscure probatur *l. 4. C. de jurisdic.* quæ habet, quod post litem contestatam ordinariæ sedis examen recusari non possit; potest ergò ante inceptum judicium, argumento à contrario ducto. Zoes. *d. l. num. 96.* Et si maximè ponamus, *d. l. apertissimi* de delegatò tantum conceptam esse, inde tamen nihil aliud efficietur, quam quòd delegatus recusari possit, quod verissimum; sed qui inde subsumere velit, ordinarium recusari non posse, is certè rationem Justiniani attendere non videtur. Illic. Umm. *in disput. ad Process. judic. 1. §. 9. num. 25.* Quamvis etiam Gail. *1. observat. 33. num. 3.* totum Collegium, Senatium, Consistorium, Parlamentum, &c. recusari posse neget, propter fraudem, quæ præsumitur in eo, qui omnes sapientes Collegii vel Senatus tanquam suspectos recusat; Attamen si vel singula universitatis membra, vel major pars suspecta sit, universum Collegium recusari posse, opinamur cum Umm. *d. l. n. 53.* Zanger. *de except. l. 2. c. 4. num. 15.* Hanc verò quam diximus,

ximus,

ximus, iudicis recusationem locum non habere putamus, quando pari affectione & amicitia æquali iudex erga utrumque litigantium ducitur, ita ut discerni non possit, in quam partem magis sit inclinaturus; par enim affectionis causa suspicionem fraudis amoveret, *l. 67. §. 1. ff. de rit. nupt.* Menoch. *de arbitr. jud. l. 2. cas. 152. num. 8.*

§. 2. Ex eodem ferè fonte proximum huic profuit *amicitia onus, inhabilitas* scil. *in testimoniò dicendò*; quemadmodum enim inimicitia testem reddit inhabilem, ita ut rejici possit ab adversa parte, cuius est inimicus, *per text. in l. 3. ubi Dd. communiter ff. de testib. l. 1. §. 24. ff. de question. caus. 3. quest. 5. c. 2. 3. 4.* cum naturale sit, ut inimicus inimicum odio habeat, ei que malè cupiat, *Arist. 4. pol. 15.* adeò ut nec Princeps facere possit, ut inimici testimonium recipiatur, Menoch. *lib. 1. de arbitr. quest. 28. n. 4. seqq.* omninò; Ita è contrario amicitia quoque minuit fidem testis, *d. l. 3. ff. de testib. l. 5. C. eod. can. si testes, caus. 4. quest. 3.* scil. ob affectionem veritatem nonnunquam obsecurantem, *caus. III. quest. 5. c. 1. 12.* Licet enim Umm. *disp. ad Process. jud. 16. thes. 3. num. 25.* & Hahn. *ad Wes. num. 7. verb. amicos, de testib.* statuunt, amicum in causâ amici non esse repellendum, sive amicitia sit magna, sive levis; Ipsis tamen fatentibus priori casu non omni exceptione est major, sed ejus testimonii fides diminuitur; imò Felin. *in c. quoties 1. de testib. num. 6.* dicit, se credere, propter immoderatam amicitiam posse ex toto repellì testem; Licet quoque priorem istam sententiam in praxi receptam ex Farinac. *tractat. de testib. quest. 56. num. 242.* testetur Umm. *d. l.* attamen de intima & magna amicitia id non intelligendum, sed omne iudicis arbitrio relinquendum esse, satis probat *l. 3. ff. de testib.* & Menoch. *lib. 2. arbitr. jud. cas. 110. num. final.* Non verò aliter & hoc

accipiendum est, quàm si testis unius tantummodò partis, pro quâ producitur ad testificandum, sit amicus intimus; Cæteroquin si utriusque partis amicus habeatur, par affectio id operabitur, ut à neutro litigantium repelli possit, *per supr. alleg. l. 67. §. 1. ff. de rit. nupt. ibiq.* Bartol. omninò. *Carpzov. p. 1. c. 16. def. 56. in fin. & in Process. jur. tit. 13. art. 5. num. 24.* Planè cum de famâ, scientiâ, moribus & vitâ ejusve honestate agitur, tantùm abest, ut amicus amico non sit idoneus testis, ut potius ei magis, quàm alii credatur, *per text. in c. innotuit, 20. vers. multa enim, extr. de Elect.*

§. 3. Tertium *amicitiæ onus* impositum est Procuratori; Licet enim is per litis contestationem factus est Dominus litis, *l. 22. C. de Procur.* adeoque revocatum iri mandatum, utpote re non amplius integrâ, non admodum timere debeat, *l. 17. ff. de Procur.* Caveat tamen sibi, ne, cum Domini adversario suspectam amicitiam contrahens, causâ cognitâ, repudietur, mandatumque ab eò revocetur, *c. 2. de Procur. in 6. arg. l. 17. seqq. l. 22. ff. de Procur.* cùm intersit vel maximè Domini, talem habere Procuratorem, qui ad defensionem ejus non inhi-beatur affectu, uti in simili habetur in *l. 23. C. de excusat. tutor.* Equidem objicies, revocationem mandati non esse onus, cùm videatur Procurator liberari potius imposito labore, quàm gravari; Sed si hæc vera sunt, quid opus est causæ cognitione? *d. l. 17. ff. h.* quia enim res non amplius est integra, ejus quoque interest non mutari sine causâ, cum talis mutatio pudorem ejus oneret, *text. opt. in l. 25. ibi: si dicat se procuratione quidem carere velle, sed si id illasâ existimatione suâ fiat; ferendus enim erit pudorem suum purgans, ff. de Procur. & contumeliam facit,*

facit, qui aliquem spernit & ad alium it, *text. in l. ii. pr. ff. de recept. arbit.*

§. 4. Jure quoque Feudali Vasallus, cum inimicis Domini amicitiam contrahens, feudo privatur, *lib. 2. F. tit. 56.* Quod tamen ad eum restringendum erit casum, quo Vasallus in perniciem domini foedus amicitiasque cum hostibus domini inierit, vel iisdem subsidia dolosè præstiterit; *d. tit. 57. Finckelth. in disp. feud. 10. thes. 9.* alioquin si saltem simplex amicitia bonâ fide absque animo nocendi cum domini inimico fuerit copulata, iniquè propterea puniretur Vasallus, cum dominus ab eò neque possit neque debeat exigere, ut cum omnibus illis inimicitias alat, quos ipse pro inimicis habet; ac proinde domino afferenti, in sui perniciem amicitiam factam esse, probandi onus incumbit, cum simplex amicitiae copulatio sit res per se honesta, *Dd. in l. lata 223 §. 1. de V. S.* nec de rebus suâ naturâ prohibitis; ideoque Vasallus operam dans rei licitæ non videtur esse in dolo; *Finckelth. d. l.* nisi tamen præter simplicem amicitiam præsumptionibus quoque Vasallus prægravetur, puta, si conventus cum inimico domini agat suspectos; *Suev. in disp. feud. 11. assert. 4 in fin.* Et hinc facile erit iudicium de illo juris brocardico: *amicus inimici mei meus inimicus esse præsumitur, l. 1. §. 10. ff. de Off. Præf. urbi. text. in l. 28. C. de inoff. testam. c. 7. extr. de accusat.* Scilicet, illud non aliter locum habebit, nisi conspiratio simul & approbatio hostilitatis accesserit, *arg. dd. ll.* id quod egregiè confirmat jus Canon. in *can. 1. dist. 93.* ubi dicitur: *si inimicus est Papa alicui pro actibus suis, cum illò nolite amici esse, sed avertere vos debetis ab eò, & nec loqui his, quibus ipse non loquitur; si verò quis amicus fuerit his, quibus ipse amicus non est, & locutus fuerit, quibus ipse non loquitur, unus est ipse ex illis, qui exterminare Ecclesiam volunt; Hic enim per amicitia speciem, quæ sunt inimica, gerit & Ecclesiam dispergit ac vastat.*

§. 5. Præter illud amicitiaæ onus, quod habetur in *l. 36. ff. de excusat. tut.* scilicet, amicissimos & fidelissimos Parentes liberis tutores eligere solere, & hoc sciendum; Quamvis sola amicitia non possit me in consortium criminis trahere;

—— Nam nulla potentia vires

Præstandi, ne quid peccet amicus, habet,


Ovid. 1. de Ponto. & cum peccata suos teneant authores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum, text. elegans in *l. sancimus, 22. C. de pæn.* amici factum amico non imputabitur; interim tamen amici quoque sedulo cavebunt, ne suspicionem de se talem præbeant, quasi conscii esse aut consentire videantur crimini, quod non absque discrimine futurum esset. *Loccen. in not. ad Curt. lib. 7. c. 1. num. 26. verb. amicitiam que nobis, &c. Vide etiam Nobilissimum Dn. Freinshe. in not. ad Curt. d. l. num. 27.* Ex mente enim *Abbat. in c. cum causa, 42. extr. de testib. Felin. in c. Petrus, vers. secunde fallit, extr. de homicid.* amicus præsumitur consensisse crimini per amicum patrato.


§. 6. Tandem, cum amicitiaæ contrarietur inimicitia *l. 3. ff. de testib.* idè quædam de hac jam essent dicenda; sed cum peculiarem discursum materia ubertas requirat, consultò hîc ejus tractationi superfedemus; Interim tamen B. L. sequentia mantissæ locò habeat: *Oppidò distinguendam esse levem offensam ab inimicitia capitali, ob multos magnosque in jure occurrentes effectus. circa sponsalia Carpz. lib. 3. Jurispr. consist. tit. 2. def. 176. excusationem tutorum, §. 3 l. de excusat. tut. l. 6. §. 17. ff. eod. vide omninò Bachov. in Comm. ad §. 3. l. eod. verb. si propter inimicitias, testimonii dictionem Nov. 90. c. 7. Carpz. pr. crim. p. 3. quest. 104. seqq. legati & fidei commissi ademptionem text. in l. 3. §. fin. ff. de adim. vel transfer: legat. quibus in locis apertè inimicitia capitalis distinguitur à levi offensâ; quippe hæc est tantum animo concepta quædam indignatio ex alicujus malo merito orta, ad extra tamen nondum prorumpens; Bart. in l. quidam cum 46. ff. de hered. inst.*

fit. quod longè secus est in inimicitia capitali ; Solebant enim Veteres , ortis gravibus inter se simultatibus , amicitiam solenni quadam ratione renunciare & inimicitias presentibus testibus profiteri ; ut enim ceteræ res humanæ , sic nec amicitia in omnibus personis & temporibus ad extremum vitæ spiritum constans esse potest , propterea , quod hominum studia vel rebus secundis & adversis vel ingravescente ætate mutantur & ipsæ amicitia ex dissidiis atque contentionibus aut ex privato quodam commodo & utilitate , cui pro se quisque studet , dissolvuntur ; Joh. Corral. in *arrest. Tholosan. annot. 4. p. m. 15.* Quod tamen de vera amicitia , uti supra deduximus , non facile dictum velimus. Et illum renunciandæ amicitia morem evidenter expressisse videtur Sueton. in *Caligul. num. 3. in fin. Germanicus*, inquit , *Pisoni decreta sua rescindentem non prius succensere in animum induxit, quam beneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset, ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut & amicitiam ei more majorum renunciaret, mandaretque domesticis ultionem, si quid sibi accideret.* Quod etiam respexisse videtur Val. Max. l. 4. c. 1. num. 12. acerrimè , ait, cum Scipione Africano Metellus Macedonicus dissenserat , eorumque ab emulatione virtutis profecta contentio ad graves testatasque inimicitias progressa est. Et hæc quidem cum ita sint , conjicere licet , quales inimicitias Juri appellaverint capitales , in l. 6. §. 17. ff. de excusat. tue. l. 3. in fin. l. 4. ff. de adm. vel transf. legat. l. 9. ff. de his , que ut indign. aufer. l. 8. in fin. ff. de Procurat. l. 15. ff. de recept. arbitr. P. H. D. tit. 26. eas nimirum quas alter alteri testatò denunciaverat : Certè quia sanguinem & vindictam spirabant ex professo , inde capitales appellatæ omninò videri possunt. Nov. 9. 1. cap. 7. Atque hæc sunt , amice Lector , quæ de diffusa ac difficili , jucundâ tamen amicitia materiâ , nostro pro instituto , commentari & συζήτησιν veluti ejusdem exhibere volui ; Essent quidem plura , quæ ad ulteriorem delineationem addi deberent , præcipuè verò probationem amicitia concernentia , qua de videri potest Mascard. d. probat. vol. 1.

Concl. 85. sed brevitatis studium hîc mihi constingit
calamum. VALE.

F I N I S.





00 A 6345

ULB Halle 3
002 912 163




TA-FL

V. 17.

Rebo ✓





CUM DEO!
DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE ET PRIVILEGIIS
AMICITIÆ

Quam
Cum consensu
Amplissimæ & Nobilissimæ Facultatis Juridicæ
in perantiquâ Electorali Academiâ
Heidelbergensi

PRÆSIDE
DN. HENRICO DAVIDE
CHUNONE,

Jcto & Professore Primario, Academiæ Procan-
cellario, nec non p.t. Facultatis Juridicæ De-
cano, Præceptore & Promotore suo
æternum devenerando,

Publico examini exponit
MAGNUS ANTONIUS GÖß
VRATISLAV: SILES:

A. & R.
In Jctorum Auditorio ad diem 2. Julij.

HEIDELBERGAE.
Apud AEGIDIUM WALTERUM Acad. Typogr.
Anno c10 lbc LIX.

